This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

L

23
—
225

Digitized by Google

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

Digitized by Google

L 23
/115

Digitized by Google

Digitized by Google

Vade mecum Sacerdotum continens egregias Preces ante et post Missam et multas Benedictionum et Absolutionum generalium formulas. A. M. D. G.

Editio septima

Mechliniae, H. Dessain, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGAT. DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHLINIENSIS TYPOGRAPHUS. —

M. D. CCC. XCVI.

Imprimatur.

Mechliniæ, die 26 Novembris 1895.

† P. L. CARD. GOOSSENS,
Arch. Mechlin.

Digitized by Google

Praeparatio ad Missam

pro opportunitate Sacerdotis facienda

Ańa. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

In Duplicibus duplicatur. — Tempore Paschali. Allelúia.

Psalmus 83.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum ? concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : Rex meus, et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine : in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor : ibunt de virtúte in virtútem, vidébitur Deus deórum in Sion.

Digitized by Google

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : et réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. — Glória Patri, etc.

Psalmus 84.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam : avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster : et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis ? aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : et in eos, qui convertúntur ad cor.

Digitized by Google

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : justítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : et justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : et ponet in via gressus suos. — Glória Patri, e c.

Psalmus 85.

INCLINA, Dómine, aurem tuam et exáudi me : quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum ; salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis ; et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine : et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine : et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar

Digitized by Google

in veritáte tua : lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo : et glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me : et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, pátiens, et multæ misericórdiæ et verax.

Réspice in me, et miserére mei, da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri, etc.

Psalmus 115.

CREDIDI, propter quod locútus sum : ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus quæ retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Digitized by Google

Dirupísti víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis : et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.—Glória Patri, etc.

Psalmus 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes : in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus ; sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel : ex ómnibus iniquitátibus ejus.—Glória Patri, etc.

Deinde repetitur Aña. Ne reminiscáris Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum : neque vindíctam sumas de peccátis nostris.—Temp. Pa ch. Allelúia.

Postea Sacerdos dicit : Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos

Digitized by Google

tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

AURES tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum : ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : purífica per infusiónem sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri : ut te perfécte dilígere et digne laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine ; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MENTES nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet ; et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quæsumus Dñe, virtus Spíritus sancti : quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Digitized by Google

CONSCIENTIAS nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat.

Oratio S. Ambrosii.

Ind. 100 *dier.* (Leo XIII. 1884.) A (1).

AD mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Jesu Christe, ego peccátor, de própriis méritis nihil præsúmens, sed de tua confídens misericórdia et bonitáte, accédere véreor et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda Majéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio: et quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo: tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est número. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine Jesu Christe, Rex ætérne, Deus et Homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te: miserére mei pleni miséria et peccátis, tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis. Salve, salutáris Víctima, pro me et omni humáno génere in patíbulo crucis oblá-ta. Salve, nóbilis et pretióse Sanguis, de vul-

(1) Littera A significat indulgentiam fidelibus defunctis posse applicari.

Digitized by Google

néribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo Sánguine redemísti. Pœnitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea: ut purificátus mente et córpore, digne degustáre mérear Sancta sanctórum : et concéde ut sancta prælibátio Córporis et Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórũ perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque et córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

Ind. 100 *dier.* (Leo XIII. 1884.) A.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ecce accédo ad Sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi ; accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cœli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem : ut panem angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne,

Digitized by Google

sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Domínici Córporis et Sánguinis non solum suscípere Sacraméntum, sed étiam rem et virtútem Sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi Corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de Vírgine María, sic suscípere ut córpori suo mystico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Actus fidei, spei, caritatis et contritionis.

CREDO in te, Dómine Jesu Christe, quia tu es summa Véritas, qui dixísti : *Caro mea vere est cibus : et Sanguis meus vere est potus* (Joan. 6. ℣. 56.). Spero in te, o Misericórdia infiníta, quia tu bonus erga nos promisísti : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum* (Joan. 6. ℣. 52.). Amo te, o Bónitas ætérna, super ómnia caritáte quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (Ad Rom. 5. ℣. 5.) et ídeo dóleo ex toto corde de peccátis commíssis, éaque detéstor cum propósito non peccándi de cætero. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (Ps. 50. ℣. 19.).

Oblatio sacrificii, seu directio intentionis ante Missam.

DOMINE Jesu Christe, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in última

Digitized by Google

cœna et in ara crucis, sacrifícium Córporis et Sánguinis tui Deo Patri obtulísti, hoc idem sacrifícium ei offérre inténdo. Compláceat sibi, o Jesu, in te, et per te propítius nobis sit in vitam ætérnam.

Te precor, Dómine Jesu Christe, pro ómnibus illis, pro quibus oráre decrévi, et quibus sum conjúnctus, et qui mihi conjúncti sunt spirituáli participatióne, consanguinitáte, affinitáte, familiaritáte, commendatióne, devotióne, eleemosynárum largitióne; qui pro me orant, pro quibus débitor sum, et qui se commendárunt oratiónibus meis; pro cuncto pópulo christiáno, et pro diœcési nostra; pro ómnibus prælátis sanctæ Románæ Ecclésiæ, et univérso Clero: ut eos in tuo sancto servítio humíliter, fidéliter et devóte perseveráre fácias; pro ómnibus fidélibus christiánis, vivis atque defúnctis, in quacúmque angústia et tribulatióne pósitis: miserére et tribulátis succúrre. Am.

Oratio ad B. V. Mariam.

Ind. 100 *dier.* (Leo XIII. 1883.) A.

O MATER pietátis et misericordiæ, beatíssima Virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et affféctu, et precor pietátem tuam, ut sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce pendénti astitísti, ita et mihi mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus, hic et in tota Ecclésia sancta hódie offeréntibus, cleménter assístere dignéris: ut tua grátia adjúti, dignam et acceptábilem Hóstiam in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Digitized by Google

Oratio ad S. Josephum.

Ind. 100 *dier.* (Pius IX. 1877.) A.

Ant. O felícem virum beátum Joseph, cui datum est Deum, quem multi reges voluérunt vidére et non vidérunt, audíre et non audiérunt, non solum vidére et audíre, sed portáre, deosculári, vestíre et custodíre. ℣. Ora pro nobis, beáte Joseph. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEUS, qui dedísti nobis regále sacerdótium, præsta, quæsumus, ut sicut beátus Joseph unigénitum Fílium tuum, natum ex María Vírgine, suis mánibus reveréntur tractáre méruit et portáre, ita nos fácias cum cordis mundítia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sæculo præmium habére mereámur ætérnum. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio ad Sanctum cujus eo die Missa dicitur.

Ind. 100 *dier.* (Leo XIII. 1884.) A.

O SANCTE N., ecce ego miser peccátor, de tuis méritis confísus, óffero nunc sacratíssimum Sacraméntum Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi, pro tuo honóre et glória, et precor te humíliter et devóte ut pro me intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam Deo, et eum tecum et cum ómnibus eléctis suis æternáliter laudáre váleam. Amen.

Digitized by Google

Mutetur genus vel numerus, si Missa celebretur de Sancta vel de Sanctis.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.

Ind. 100. *dier.* (Leo XIII. 1884.) A.

ANGELI, Archángeli, Throni, Dominatiónes, Principátus, Potestátes, Virtútes cœlórum, Chérubim, atque Séraphim, omnes Sancti, et Sanctæ Dei, præsértim Patróni mei, intercédere dignémini pro me, ut hoc Sacrifícium Deo omnipoténti digne váleam offérre ad laudem et glóriam nóminis sui, et ad utilitátem meam, totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ. Amen.

Oratio dicenda antequam sacerdos lavet manus, et induatur sacerdotalibus paramentis.

Ind. 50. *dier.* (Gregorius XIII.) A.

EGO volo celebráre Missam et confícere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ, ad laudem omnipoténtis Dei totiúsque Cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam totiúsque Cúriæ militántis ; pro ómnibus qui se commendárunt oratiónibus meis in génere et in spécie, ac pro felíci statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

Gáudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem sancti Spíritus, perseveántiam in bonis opéribus tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Digitized by Google

Preces post Missam

Añ. (1). Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

In Duplicibus duplicatur.— T. P. Allelúia.

Canticum trium puerorum. *Dan.* 3.

BENEDICITE, ómnia ópera Dómini, Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : benedícite, cœli Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Dómino : benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino : benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino : benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino : benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : benedícite, univérsa germinántia in terra, Dño.

(1) *Indulg. unius anni* sacerdotibus sequentia (p. 15-19) post Missæ celebrationem recitantibus. (Leo XIII. 1884.) A.

Digitized by Google

Benedícite, fontes, Dómino : benedícite mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino : benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israel Dóminum : laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dño : benedícite, sancti et húmiles corde, Dño.

Benedícite, Ananía, Azaría, Mísael, Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem, et Fílium, cum sancto Spíritu : laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es Dómine, in firmaménto cœli : et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Psalmus 150.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in tympano et choro : laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : omnis spíritus laudet Dóminum. — Glória Patri, etc.

Digitized by Google

Deinde repetitur Añ. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. — Temp. Pasch. Allelúia.

Deinde Sacerdos dicit : Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi. ℣. Exsultábunt sancti in glória ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟ Sed nómini tuo da glóriam. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium, concéde propítius : ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACTIONES nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo prosequere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis.

GRATIAS tibi ago, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui me peccatórem indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ,

Digitized by Google

satiáre dignátus es pretióso Córpore et Sánguine Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi. Et precor ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium quam spirituálium, perfécta quietátio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque mei finis felix consummátio. Et precor te ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo et Spíritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventuræ.

TRANSFIGE, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas et víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera, serenáque et apostólica sanctíssima caritáte, ut lángueat et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui, te concupíscat, et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi et esse tecum. Da ut ánima mea te esúriat panem angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum supersubstantiálem, habéntem omnem dul-

Digitized by Google

cédinem et sapórem, et omne delectamén-tum suavitátis : te, in quem desíderant án-geli prospícere, semper esúriat et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleán-tur víscera ánimæ meæ : te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei : te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te per-véniat, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et afféctu, cum perseverántia usque in finem ; et tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, jucúnditas mea, gáu-dium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, reféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea , thesáurus meus , in quo fixa et firma et immobíliter semper sit radi-cáta mens mea et cor meum. Amen.

Anima Christi.

Ind. 7 annor. concessa *semel in die*, sacerdoti-bus hanc orationem post Missæ celebrationem, et omnibus fidelibus post sacram communionem reci-tantibus. — *Ind.* 300 *dier.*, *toties quoties per diem* concessa omnibus fidelibus. (Pius IX. 1854.) A NIMA Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, iné-bria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Jesu ! exáudi me. Intra tua vúlnera, abscónde me.

Digitized by Google

Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad Jesum.

Ind. 3 *an.* concessa sacerdotibus qui hanc orat. post Missæ celebrat. recitaverint. (Pius. IX. 1846.) A.

OBSECRO te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar atque deféndar; vúlnera tua sint mihi cibus, potúsque quibus pascar, inébrier atque delécter; aspérsio Sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum; mors tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refóctio, exsultátio, sánitas et dulcédo cordis mei: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Rhythmus
S. Thomæ ad Sacram Eucharistiam.

Ind. 100 *dier.* (Leo XIII. 1884.) A.

ADORO te devote, latens Déitas, quæ sub his figúris vere látitas: tibi se cor meum totum súbjicit, quia te contémplans totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur, sed audítu solo tuto créditur: credo quidquid dixit Dei Fílius, nil hoc verbo Veritátis vérius.

In cruce latébat sola Déitas, at hic latet simul et humánitas: ambo tamen credens atque cónfitens, peto quod petívit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor, Deum tamen meum te confíteor: fac me tibi semper magis crédere, in te spem habére, te dilígere.

Digitized by Google

O memoriále mortis Dómini, panis vivus, vitam præstans hómini : præsta meæ menti de te vívere, et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Jesu Dómine, me immúndum munda tuo Sánguine : cujus una stilla salvum fácere totum mundum quit ab omni scélere.

Jesu, quem velátum nunc aspício, oro fiat illud quod tam sítio, ut, te reveláta cernens fácie, visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

Alter Rhythmus.

AVE, verum Corpus, natum ex María Vírgine, vere passum, immolátum in cruce pro hómine, cujus latus perforátum vero fluxit sánguine, esto nobis prægustátum mortis in exámine. O clemens, o pie, o dulcis Jesu, Fili Maríæ.

Oratio S. Francisci Xaverii ad Jesum.

O DEUS ! ego amo te, nec amo te ut salves me, aut quia non amántes te ætérno punis igne. Tu, mi Jesu, totum me ampléxus es in cruce. Tulísti clavos, lánceam, multámque ignomíniam, innúmeros dolóres, sudóres, et angóres, ac mortem ; et hæc propter me, ac pro me peccatóre ; cur ígitur non amem te, o Jesu amantíssime ? non ut in cœlo salves me, aut ne in ætérnum damnes me, nec præmii ullíus spe, sed sicut tu amásti me, sic amo et amábo te, solum quia Rex meus es, et solum quia Deus es. Amen.

Piæ petitiones S. Augustini,

Ind. 50. *dier. semel in die.* (Leo XIII. 1883.)

DOMINE Jesu, nóverim me, nóverim te, nec áliquid cúpiam nisi te. Oderim

Digitized by Google

me, et amem te. Omnia agam propter te. Humíliem me, exáltem te. Nihil cógitem nisi te. Mortíficem me, et vivam in te. Quæcúmque evéniant, accípiam a te. Pérsequar me, sequar te ; sempérque optem sequi te. Fúgiam me, confúgiam ad te, ut mérear deféndi a te. Tímeam mihi, tímeam te. Et sim inter eléctos a te. Díffidam mihi, fidam in te. Obedíre velim propter te. Ad nihil afflciar, nisi ad te. Et pauper sim propter te. Aspice me, ut díligam te. Voca me, ut vídeam te. Et in ætérnum fruar te. Amen.

Actus petito ii.

LIBERALISSIME Jesu, qui prodigióso amóris conátu totum dedísti mihi : Corpus tuum et Sánguinem tuum, Animam tuam et Divinitátem tuam ; quid jam mihi supplicánti tibi denegáre posses ? ideóque non dimíttam te, nisi féceris misericórdiam cum servo tuo, et benedíxeris mihi. Indúlge ergo, benignissime Jesu, ómnia delícta juventútis meæ, quibus te tóties Deum summe bonum offéndi, nec non quidquid delíqui in oblatióne hujus sacrifícii omissióne, negléctu, præcipitatióne, aut quovis álio modo. Da mihi, sapientíssime Jesu, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, ut mecum sit, mecum cógitet, mecum desíderet, mecum loquátur, mecum ámbulet, mecum labóret, cunctis diébus vitæ meæ. Da mihi, justíssime ac amantíssime Jesu, timórem páriter et amórem Nóminis tui, ut in ómnibus ac super ómnia te timens, teque díligens, inter mundánas varietátes

Digitized by Google

et vitæ hujus mortális tentatiónes, ibi fixum sit cor meum, ubi est verum gáudium. Da mihi, Rex vírginum et amátor castitátis, donum perféctæ continéntiæ, ut tibi casto córpore et pura mente servíre váleam. Jesu, Pastor bone et fortitúdo nostra, e cujus múnere venit, ut a minístris tuis fidéliter et laudabíliter tibi serviátur, da mihi treménduin sacri ministérii onus forti ánimo portáre, ac vices illíus digne replére ad majórem tui glóriam, nec non mei ac próximi salútem. Omnibus quoque fámulis tuis, pro quibus hoc sacrifícium óbtuli, et pro quibus oráre débeo, seu tu rogári vis, da pacem, benedictiónem et tuam salútem. Convérte míseros peccatóres ad te. Révoca hæréticos et schismáticos a suis erróribus. Illúmina infidéles te ignorántes. Adésto ómnibus, qui in áliquo perículo, necessitáte, aut tribulatióne sunt constitúti, et máxime iis qui in actuáli lucta cum morte versántur. Esto propítius propínquis et benefactóribus meis. Miserére ómnium adversántium mihi. Succúrre eis, qui se meis précibus commendárunt. Da vivis véniam et grátiam, ac fidélibus defúnctis lucem et réquiem sempitérnam. Amen.

Oratio in honorem Passionis D. N. J. C.

DEUS qui, pro redemptióne mundi, voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári,

Digitized by Google

flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, véstibus éxui, cruci clavis affígi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle et acéto potári, et láncea vulnerári ; tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, quas ego indígnus récolo, et per sanctam crucem et mortem tuam líbera me (et hunc fámulum tuum N. agonizántem,) (si hæc oratio pro agonizante recitatur) a pœnis inférni, et perdúcere dignéris, quo perduxísti latrónem tecum crucifíxum. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad sanctissimum Nomen Jesu.

Ind. 100 *dier. semel in die.* (Pius IX. *1876.*) A

O BONE Jesu ! o piíssime Jesu ! o dulcíssime Jesu ! o Jesu, Fili Maríæ vírginis, plene misericórdia et pietáte ! o dulcis Jesu ! secúndum magnam misericórdiam tuam miserére mei. O clementíssime Jesu ! te déprecor per illum Sánguinem pretiósum, quem pro peccatóribus effúndere voluísti, ut ábluas omnes iniquitátes meas, et in me respícias míserum et indígnum, humíliter véniam peténtem, et hoc nomen sanctum Jesu invocántem. O nomen Jesu, nomen dulce ! nomen Jesu, nomen delectábile ! nomen Jesu, nomen confórtans ! Quid est enim Jesus, nisi salvátor ? Ergo, Jesu, propter nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus, et salva me. Ne permíttas me damnári, quem tu de níhilo creásti. O bone Jesu ! ne perdat me

Digitized by Google

iníquitas mea, quem fecit omnípotens bónitas tua. O dulcis Jesu! recognósce quod tuum est, et abstérge quod aliénum est. O benignísime Jesu! miserére mei, dum tempus est miseréndi, ne damnes me in témpore judicándi. Non mórtui laudábunt te, Dómine Jesu, neque omnes qui descéndunt in inférnum. O amantíssime Jesu! o desideratíssime Jesu! o mitíssime Jesu! o Jesu, Jesu, Jesu! admítte me intráre in número electórum tuórum. O Jesu, salus in te credéntium! o Jesu, solátium ad te confugiéntium! o Jesu, Fili Maríæ vírginis! infúnde in me grátiam, sapiéntiam, caritátem, castitátem et humilitátem: ut possim te perfécte dilígere, te laudáre, te pérfrui, tibi servíre et in te gloriári, cum ómnibus qui ínvocant nomen tuum, quod est Jesus. Amen.

Jesu dulcis memoria.

JESU dulcis memória, dans vera cordi gáudia, sed super mel et ómnia, ejus dulcis præséntia.

Nil cánitur suávius, nil audítur jucúndius, nil cogitátur dúlcius, quam Jesus Dei Fílius.

Jesu, spes pœniténtibus, quam pius es peténtibus! quam bonus te quæréntibus! sed quid inveniéntibus?

Nec lingua valet dícere, nec líttera exprímere, expértus potest crédere quid sit Jesum dilígere.

Sis, Jesu, nostrum gáudium, qui es futúrus præmium: sit nostra in te glória, per cuncta semper sæcula. Amen.

Digitized by Google

JESU, Rex admirábilis, et triumphátor nóbilis, dulcédo ineffábilis, totus desiderábilis :

Quando cor nostrum vísitas, tunc lucet ei véritas, mundi viléscit vánitas, et intus fervet cáritas.

Jesu, dulcédo córdium, fons vivus, lumen méntium, excédens omne gáudium, et omne desidérium.

Jesum omnes agnóscite, amórem ejus póscite ; Jesum ardénter quærite, quæréndo inardéscite.

Te nostra, Jesu, vox sonet, nostri te mores éxprimant, te corda nostra díligant, et nunc et in perpétuum. Amen.

Oratio.

Ind. 300 *dier. semel in die.* (Pius IX. 1859.) A.

O JESU vivens in María, veni et vive in fámulis tuis, in spíritu sanctitátis tuæ, in plenitúdine virtútis tuæ, in veritáte virtútum tuárum, in perfectióne viárum tuárum, in communióne mysteriórum tuórum ; domináre omni advérsæ potestáti, in spíritu tuo ad glóriam Patris. Amen.

Precatio S. Bonaventuræ.

Ind. 100 *dier. semel in die.* (Pius IX. 1874.) A.

DOMINE sancte, Pater, omnípotens, ætérne Deus, propter tuam largitátem et Fílii tui, qui pro me sustínuit passiónem et mortem, et Matris ejus excellentíssimam sanctitátem, atque beáti Francísci et ómnium sanctórum mérita, concéde mihi peccatóri, et omni tuo benefício indígno : ut te solum

Digitized by Google

díligam ; tuo amóre semper sítiam ; benefícium Passiónis contínuo in corde hábeam ; meam miséria recognóscam, et ab ómnibus conculcári et contémni cúpiam ; nihil me contrístet, nisi culpa. Amen.

Oratio.

Ind. 300 *dier. in die.* (Pius IX. 1856.) A.

DIVINE Jesu, Fili Dei incarnáte, qui, pro nostra salúte, in stábulo nasci, vitam in paupertáte, ærúmnis et miséria dégere, et in crucis dolóribus mori dignátus es, divíno tuo Patri dic, quæso, in moménto mortis meæ : *Pater, ignosce ei.* Dic Matri tuæ diléctæ : *Ecce filius tuus.* Dic ánimæ meæ : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Deus meus, Deus meus, ne derelínquas me in illa hora. *Sitio :* útique, Deus meus, ánima mea sitit ad te, qui es fons aquárum vivéntium. Vita mea prætérit velut umbra ; adhuc módicum, et consummáta erunt ómnia. Quaprópter, o Salvátor mi adorábilis, ex hoc moménto in omnem æternitátem, *in manus tuas commendo spíritum meum.* Dómine Jesu, áccipe ánimam meam. Amen.

Oratio S. Ignatii Loyolæ.

Ind. 300 *dier. semel in die.* (Leo XIII. 1883.) A.

SUSCIPE, Dómine, univérsam meam libertátem. Accipe memóriam, intelléctum atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo vel possídeo, mihi largítus es ; id tibi totum restítuo ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum

Digitized by Google

grátia tua mihi dones, et dives sum satis nec áliud quidquam ultra posco.

Oratio pro agonizantibus.

Ind. 100 *dier* (Pius IX. 1850.) A.

O CLEMENTISSIME Jesu, amator animárum, óbsecro te per agoníam Cordis tui sanctíssimi, et per dolóres Matris tuæ immaculátæ, lava in Sánguine tuo peccatóres tótius mundi, nunc pósitos in agonía et hódie moritúros. Amen.

Cor Jesu in agonía factum, miserére moriéntium.

Oblatio vitæ pro iisdem.

SI ad misericórdiam illis impetrándam, holocáustum tibi póstulas, ecce vénio : áccipe me víctimam pro frátribus meis, pro quibus Sánguinem tuum ad últimam usque gúttulam effúndere dignátus es. Amen.

Cor Jesu in agonía factum, miserére moriéntium.

Piæ intentiones singulis diebus renovandæ,

Ind. 100 *dier. semel in die.* (Leo XIII. 1885.) A.

DOMINE Jesu Christe, in unióne illíus divínæ intentiónis qua Ipse in terris per sanctíssimum Cor tuum laudes Deo persolvísti et nunc continénter in Eucharistíæ sacraménto ubíque terrárum persólvis usque ad consummatiónem sæculi : ego, per hanc diem íntegram, nulla nec mínima quidem parte excépta, ad imitatiónem sacratíssimi Cordis Béatæ Maríæ semper Vírginis Immaculátæ, Tibi libentíssime óffero omnes meas intentiónes et cogitatiónes, omnes meos af-

Digitized by Google

féctus et desidéria, ómnia mea ópera et verba.

Oratio dicenda ante imaginem Jesu crucifixi.

Indulg. plenaria concessa omnibus Christi fidelibus, qui confessi ac S. communione refecti, contrito corde et devote hanc orationem recitaverint ante imaginem qualemcumque Jesu crucifixi, dummodo orent per aliquod tempus ad mentem S. Pontificis. (Pius IX. 1858.) A.

En ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo, ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere, dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse considero, ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod jam in ore ponébat tuo David prophéta de te, o bone Jesu: *Fodérunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt omnia ossa mea.* (Psalm. 21. ℣. 17 et 18.)

Digitized by Google

Duæ Orationes ad B. V. Mariam.

RESPICE in me, gloriosíssima Virgo María, quia dignum objéctum oculórum tuórum nunc factus sum. Lóquere pro me bona dilectíssimo Fílio tuo, qui me Córpore et Sánguine suo suavíssime refécit, et offer ei mérita tua in suppleméntum imperfectiónis meæ. Grátias age ei pro me, et ímpetra mihi ut sacramentáli sua præséntia non discédat a me, nisi relínquat post se ánimæ meæ et córpori meo largíssimam benedictiónem. Amen.

O DOMINA mea, o Mater mea, tibi me totum óffero, atque ut me tibi probem devótum, cónsecro tibi hódie óculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quóniam ítaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defénde me, ut rem ac possessiónem tuam.

Oratio ad S. Josephum.

Ind. 100 *dier. semel in die.* (Pius IX. 1877.) A.

VIRGINUM custos et pater, sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa innocéntia Christus Jesus et Virgo vírginum María commíssa fuit : te, per hoc utrúmque carissimum pignus Jesum et Maríam, óbsecro et obtéstor ut me, ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore, Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Oratio ad omnes Sanctos.

OMNES Angeli, omnes sancti et sanctæ Dei, consolátio paupérculæ ánimæ meæ, et vos præsértim, Patróni et Pro-

Digitized by Google

tectóres mei, impetráte mihi grátiam non peccándi de cætero, simul et sancte vivéndi, ut tandem plenus méritis vestro consórtio aggregári mérear. Amen.

Si Missa celebrata sit de Sancto, oratio ad illum.

SANCTE N. in cujus honórem incruéntum Córporis et Sánguinis Christi sacrifícium óbtuli, fac tua poténti apud Deum intercessióne ut, usu hujus mystérii, passiónis et mortis ejúsdem Christi Salvatóris nostri mérita cónsequar, ac cum illíus frequentatióne contínuo crescat meæ salútis efféctus. Amen.

Mutetur genus vel numerus, si Missa celebrata sit de Sancta vel de Sanctis.

Oratio universalis Clementis XI.

CREDO, Dómine, sed credam fírmius.

Spero, Dómine, sed sperem secúrius.

Amo, Dómine, sed amem ardéntius.

Dóleo, Dómine, sed dóleam veheméntius.

Adóro te ut primum princípium, desídero ut finem últimum; laudo ut benefactórem perpétuum; ínvoco ut defensórem propítium.

Tua me sapiéntia dírige, justítia cóntine, cleméntia soláre, poténtia prótege.

Offero tibi, Deus, cogitánda, ut sint ad te; dicénda, ut sint de te; faciénda, ut sint secúndum te; ferénda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis; volo, quia vis; volo, quómodo vis; volo, quámdiu vis.

Oro, Dómine, ut intelléctum illúmines; voluntátem inflámmes; corpus emúndes; ánimum sanctífices.

Digitized by Google

A supérbia non infíciar ; adulatióne non affíciar ; a mundo non decípiar ; a Sátana non circumvéniar.

Grátiam præsta memóriam purgándi, linguam frenándi, óculos cohibéndi, sensus coercéndi.

Défleam prætéritas iniquitátes ; repéllam futúras tentatiónes ; córrigam vitiósas propensiónes ; éxcolam idóneas virtútes.

Tríbue mihi, bone Deus, amórem tui, ódium mei, zelum próximi, contémptum mundi.

Stúdeam superióribus obedíre, inferióribus subveníre, amícis consúlere, némini invidére.

Memínerim, o Jesu, mandáti tui et exémpli, inimícos diligéndo, injúrias sufferéndo, persequéntibus benefaciéndo, pro calumniántibus orándo.

Vincam voluptátem austeritáte, avarítiam largitáte, iracúndiam lenitáte, tepiditátem pietáte.

Redde me prudéntem in consíliis, constántem in perículis, patiéntem in advérsis, húmilem in prósperis.

Fac, Dómine, ut sim in oratióne atténtus, in épulis sóbrius, in múnere sédulus, in propósito firmus.

Curem habére sanctitátem interiórem, modéstiam exteriórem, conversatiónem exemplárem, vitam regulárem.

Natúræ invígilem domándæ, grátiæ fovéndæ, legi servándæ, salúti promeréndæ.

Digitized by Google

Sanctimóniam ássequar sincéra peccatórum confessióne, férvida Córporis Christi communióne, contínua mentis recollectióne, pura cordis intentióne.

Discam a te, Deus, quam ténue, quod terrénum; quam grande, quod divínum; quam breve, quod temporáneum; quam durábile, quod ætérnum.

Da, mortem prævéniam, judícium pertímeam, inférnum effúgiam, paradísum obtíneam. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad obtinendam bonam mortem.

Ind. 100 *dier. semel in die.* (Pius IX. 1856.) A.

O María sine labe concépta, ora pro nobis qui confúgimus ad te; o refúgium peccatórum, Mater agonizántium, noli nos derelínquere in hora éxitus nostri, sed ímpetra nobis dolórem perféctum, sincéram contritiónem, remissiónem peccatórum nostrórum, Sanctíssimi Viátici dignam receptiónem, Extrémæ Unctiónis sacraménti corroboratiónem, quátenus secúri præsentári valeámus ante thronum justi, sed et misericórdis Júdicis, Dei et Redemptóris nostri. Amen.

Oratio S. Francisci Xaverii ad impetrandam infidelium conversionem.

Ind. 300 *dier. semel in die.* (Pius IX. 1847.) A.

ÆTERNE rerum omnium efféctor Deus, meménto abs te ánimas infidélium procreátas, eásque ad imáginem et similitúdinem tuam cónditas. Ecce, Dómine, in oppróbrium tuum his ipsis inférnus implétur. Meménto Jesum Fílium tuum pro illórum salúte atrocíssimam subíisse necem. Noli,

Digitized by Google

quæso, Dómine, ultra permíttere ut Fílius tuus ab infidélibus contemnátur; sed précibus sanctórum virórum et Ecclésiæ, sanctíssimi Fílii tui sponsæ, placátus, recordáre misericórdiæ tuæ et oblítus idololatríæ et infidelitátis eórum, éffice ut ipsi quoque agnóscant aliquándo quem misísti Dóminum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurréctio nostra, per quem salváti et liberáti sumus, cui sit glória per infiníta sæcula sæculórum. Amen.

32 BREVES PRECES INDULGENTIIS AUCTÆ.

1. Dulce Cor mei Jesu, fac ut te semper magis amem. (*Ind.* 300 *dier.* Pius IX. 1876.) A.

2. Jesu mitis et humilis corde, fac cor meum sicut Cor tuum. (*Ind.* 300 *dier. semel in die.* Pius IX. 1868.) A.

3. Amétur ubíque Sacratíssimum Cor Jesu. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1860.) A.

4. Sit laus, adorátio, amor et gratiárum áctio síngulis témporis moméntis, Eucharístico Cordi Jesu, in ómnibus orbis tabernáculis, usque ád consummatiónem sæculórum. Amen. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1868.) A.

5. Laudes et grátiæ sint omni moménto sanctíssimo et diviníssimo Sacramento. (*Ind.* 100 *dier. semel in die; ter:* singulis feriis quintis et per octavam Corporis Christi. Pius VI. 1776.) A.

Oratio S. Hieronymi Æmiliani.

6. Dulcíssime Jesu, non sis mihi Judex, sed

Digitized by Google

Salvátor! (*Ind.* 50 *dier.* Pius IX. 1851.) A.

Oratio a S. Leonardo a Portu-Mauritio sæpius usurpata.

7. Mi Jesu, Misericórdia! (*Ind.* 100 *dier.* Pius IX. 1846.) A.

8. Jesus, María! *Ind.* 25. *dier.* si alterutrum nomen invocatur. Clemens XIII. 1759.) A.

9. Jesu, fili David, miserére mei. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1886.) A.

10. Jesu, Deus meus, super ómnia amo te. (*Ind.* 50 *dier.* Pius IX. 1854.) A.

Actus amoris S. Francisci Assisii.

11. Deus meus et ómnia. (*Ind.* 50 *dier.* Leo XIII. 1888.) A.

Invocatio a S. Ignatio Loyola repeti solita.

12. Dómine mi, fac ut amem te, et ut præmium amóris mei sit amáre te magis in dies. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1890.) A.

Invocatio S. Thomæ Aquinatis ad crucem.

13. Crux mihi certa salus.
Crux est quam semper adóro.
Crux Dómini mecum.
Crux mihi refúgium. (*Ind.* 300 *dier. semel in die.* Pius IX. 1874.) A.

14. O clementíssime Jesu, salus, vita, resurréctio nostra tu solus es. Te ergo quæsumus, ne derelínquas nos in angústiis et perturbatiónibus nostris, sed per agoníam Cordis tui sanctíssimi, et per dolóres Matris tuæ immaculátæ, tuis fámulis súbveni, quos pretióso Sánguine redemísti. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1870.) A.

Digitized by Google

15. Ego N. N., ut meam gratitúdinem tibi testíficer, et ad meas infidelitátes reparándas, óffero tibi meum cor, et me tibi omníno devóveo, o mi amábilis Jesu, et cum grátia tua ámplius non peccáre propóno.

Indulg. 100 *dier. semel in die,* concessa recitantibus hanc Orationem coram imagine SS. Cordis Jesu. (Pius VII. 1807.) A.

16. Pater ætérne; óffero tibi Sánguinem pretiosíssimum Jesu Christi, in expiatiónem meórum peccatórum et pro necessitátibus sanctæ Ecclésiæ. (*Ind.* 100 *dier.* Pius VII. 1817.) A.

17. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum, plena est terra glória tua : glória Patri, glória Fílio, glória Spirítui sancto. (*Ind.* 100 *dier. semel in die ; ter* : die domínico, die festo et per octavam SS. Trinitatis. Clemens XIV. 1769.) A.

18. Fiat, laudétur atque in ætérnum superexaltétur justíssima, altíssima et amabilíssima

Digitized by Google

volúntas Dei in ómnibus. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius VII. 1818.) A.

19. Ætérne Pater, offérimus tibi Sánguinem, passiónem et mortem Jesu Christi, dolóres sanctíssimæ vírginis et sancti Joséphi, in remissiónem nostrórum peccatórum, liberatiónem animárum quæ sunt in Purgatório, pro necessitátibus Ecclésiæ et peccatórum conversióne. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1860.) A.

20. Dona eis, Dómine, réquiem ætérnam, et lux perpétua lúceat eis. — Requiéscant in pace. Amen. (*Ind.* 200 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1880.) A.

21. Dulce Cor Maríæ, esto mea salus. (*Ind.* 300 *dier.* Pius IX. 1852.) A.

22. Benedícta sit sancta et immáculáta Concéptio Beátæ Vírginis Maríæ, Matris Dei. (*Ind.* 300 *dier.* Leo XIII. 1878.) A.

23. In Conceptióne tua, Virgo María, immaculáta fuísti; ora pro nobis Patrem, cujus Fílium Jesum de Spíritu sancto concéptum peperísti. (*Ind.* 100 *dier.* Pius VI. 1793.) A.

24. O María, quæ in hunc mundum sine mácula ingréssa es, heu! ímpetra mihi a Deo ut sine culpa ab illo égredi possim. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1863.) A.

25. O María, sine peccáto concépta, ora pro nobis, qui ad te recúrrimus. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1884.) A.

26. Ave augustíssima Regína pacis, sanctíssima Mater Dei, per sacratíssimum Cor Jesu, Fílii tui, Príncipis pacis, fac ut quiéscat ira ipsíus, et regnet super nos in pace. Memo-

Digitized by Google

ráre, o piíssima Virgo María, non esse audítum a sæculo quemquam tua peténtem suffrágia, esse derelíctum. Ego, tali animátus confidéntia, ad te vénio. Noli, Mater Verbi, verba mea despícere, sed audi propítia et exáudi, o clemens, o dulcis Virgo María ! (*Ind.* 300 *dier.* Pius IX. 1846.) A.

27. O María, Mater Dei et Mater misericórdiæ, ora pro nobis et pro fidélibus defúnctis. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1883.) A.

28. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam, sitque tuo semper tuta patrocínio. (*Ind.* 300 *dier. semel in die.* Leo XIII. 1882.) A.

29. Sancte Joseph amíce Sacri Cordis, ora pro nobis. (*Ind.* 100 *dier. semel in die.* Pius IX. 1874.) A.

30. Jesu, María, Joseph, óffero vobis meum cor, meum spíritum et vitam meam.

Jesu, María, Joseph, succúrrite mihi in extrémo agóne.

Jesu, María, Joseph, in vestra sancta societáte tranquílle móriar. (*Ind.* 300 *dier.*—*Ind.* 100 *dier.* pro singulis invocátionibus. Pius VII. 1821.) A.

31. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commíssum pietáte supérna illúmina, custódi, rege et gubérna. Amen. (*Ind.* 100 *dier.* Pius VII. 1821.) A.

32. Signum crucis, dicéndo : In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen. (*Ind.* 50 *dier.* Pius IX. 1863.) A.

Signum crucis, ut supra, et cum aqua benedícta factum. (*Ind.* 100 *dier.* Pius IX. 1866.) A.

Digitized by Google

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Ind. 300 *d. Decr. S. R. C.* 2 *Apr.* 1899.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Christe, audi nos. Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
1. Cor Jesu, Fílii Patris ætérni, miserére.
2. Cor Jesu, in sinu Vírginis Matris a Spíritu Sancto formátum, miserére.
3. Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unítum, miserére.
4. Cor Jesu, Majestátis infinítæ, miserére.
5. Cor Jesu, Templum Dei Sanctum, miserére.
6. Cor Jesu, Tabernáculum Altíssimi, miserére.
7. Cor Jesu, Domus Dei et porta cœli, miserére.
8. Cor Jesu, fornax ardens caritátis, miserére.
9. Cor Jesu, justítiæ et amóris receptáculum, miserére.
10. Cor Jesu, bonitáte et amóre plenum, miserére.
11. Cor Jesu, virtútum ómnium abyssus, miserére.
12. Cor Jesu, omni laude digníssimum, miserére.
13. Cor Jesu, rex et centrum ómnium córdium, miserére.
14. Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, miserére.
15. Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére.
16. Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, miserére.
17. Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes nos accépimus, miserére.
18. Cor Jesu, desidérium cóllium æternórum. mis.
19. Cor Jesu, pátiens et multæ misericórdiæ, mis.
20. Cor Jesu, dives in omnes qui ínvocant Te, mis.
21. Cor Jesu, fons vitæ et sanctitátis, miserére.
22. Cor Jesu, propitiátio pro peccátis nostris, mis.
23. Cor Jesu, saturátum oppróbriis, miserére.
24. Cor Jesu, attrítum propter scélera nostra. mis.

Digitized by Google

25. Cor Jesu, usque ad mortem obédiens factum, miserére nobis.
26. Cor Jesu, láncea perforátum, miserére.
27. Cor Jesu, fons totíus consolatiónis, miserére.
28. Cor Jesu, vita et resurréctio nostra, miserére.
29. Cor Jesu, pax et reconciliátio nostra, miserére.
30. Cor Jesu, víctima peccatórum, miserére.
31. Cor Jesu, salus in Te sperántium, miserére.
32. Cor Jesu, spes in Te moriéntium, miserére.
33. Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis péccata mundi, miserére nobis.

℣. Jesu mitis et húmilis Corde.

℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Orémus.

Omnípotens sempíterne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iísque misericórdiam tuam peténtibus, Tu véniam concéde placátus, in nómine ejúsdem Fílii tui Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculórum. Amen.

Litaniae SS. Nominis Jesu.

Ind. 300 *dier. semel in die.* (Leo XIII. 1886.)

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Jesu, audi nos. Jesu, exáudi nos.

Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Jesu Fili Dei vivi, miserére nobis.
Jesu splendor Patris, miserére nobis.
Jesu candor lucis ætérnæ, miserére nobis.
Jesu rex glóriæ, miserére nobis.
Jesu sol justítiæ, miserére nobis.
Jesu Fili Maríæ Vírginis, miserére nobis.
Jesu amábilis, miserére nobis.

Digitized by Google

Jesu admirábilis, miserére nobis.
Jesu Deus fortis, miserére nobis,
Jesu Pater futúri sæculi, miserére nobis.
Jesu magni consílii Angele, miserére nobis.
Jesu potentíssime, miserére nobis.
Jesu patientíssime, miserére nobis.
Jesu obedientíssime, miserére nobis.
Jesu mitis et húmilis corde, miserére nobis.
Jesu amátor castitátis, miserére nobis.
Jesu amátor noster, miserére nobis.
Jesu Deus pacis, miserére nobis.
Jesu auctor vitæ, miserére nobis.
Jesu exémplar virtútum, miserére nobis.
Jesu zelátor animárum, miserére nobis.
Jesu Deus noster, miserére nobis.
Jesu refúgium nostrum, miserére nobis.
Jesu pater páuperum, miserére nobis.
Jesu thesáurus fidélium, miserére nobis.
Jesu bone Pastor, miserére nobis
Jesu lux vera, miserére nobis.
Jesu sapiéntia ætérna, miserére nobis.
Jesu bónitas infiníta, miserére nobis.
Jesu via et vita nostra, miserére nobis.
Jesu gáudium Angelórum, miserére nobis.
Jesu rex Patriarchárum, miserére nobis.
Jesu magíster Apostolórum, miserére nobis.
Jesu doctor Evangelistárum, miserére nobis.
Jesu fortitúdo Mártyrum, miserére nobis.
Jesu lumen Confessórum, miserére nobis.
Jesu púritas Vírginum, miserére nobis.
Jesu coróna sanctórum ómnium, miserére nobis.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.
Propítius esto, exáudi nos, Jesu.
Ab omni malo, líbera nos, Jesu.
Ab omni peccáto, líbera nos, Jesu.
Ab ira tua, líbera nos, Jesu.
Ab insídiis diáboli, líbera nos, Jesu.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Jesu.
A morte perpétua, líbera nos, Jesu.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera nos, Jesu.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.

Digitized by Google

Per nativitátem tuam, líbera nos, Jesu.
Per infántiam tuam, líbera nos, Jesu.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera nos, Jesu.
Per labóres tuos, líbera nos, Jesu.
Per agoníam et passiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per crucem et derelictiónem tuam, lib. nos, Jesu.
Per languóres tuos, líbera nos, Jesu.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera nos, Jesu.
Per resurrectiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per ascensiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per gáudia tua, líbera nos, Jesu.
Per glóriam tuam, líbera nos, Jesu.
Agnus Dei, etc., parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, etc., exáudi nos, Jesu.
Agnus Dei, etc., miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos. Jesu, exáudi nos.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui dixísti : pétite et accipiétis, quærite et inveniétis, pulsáte et aperiétur vobis : quæsumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amóris afféctum, ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua nunquam laude cessémus.

SANCTI nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum, quia nunquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Litaniae B. Mariae Virginis.

Indulg. 300 *dier.* (Pius VII. 1817.) A.

KYRIE, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Christe, audi nos. Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora pro nobis.

Digitized by Google

Mater divínæ grátiæ, ora pro nobis.
Mater puríssima, ora pro nobis.
Mater castíssima, ora pro nobis.
Mater invioláta, ora pro nobis.
Mater intemeráta, ora pro nobis.
Mater amábilis, ora pro nobis.
Mater admirábilis, ora pro nobis.
Mater Creatóris, ora pro nobis.
Mater Salvatóris, ora pro nobis.
Virgo prudentíssima, ora pro nobis.
Virgo veneránda, ora pro nobis.
Virgo prædicánda, ora pro nobis.
Virgo potens, ora pro nobis.
Virgo clemens, ora pro nobis.
Virgo fidélis, ora pro nobis.
Spéculum justítiæ, ora pro nobis.
Sedes sapiéntiæ, ora pro nobis.
Causa nostræ lætítiæ, ora pro nobis.
Vas spirituále, ora pro nobis.
Vas honorábile, ora pro nobis.
Vas insígne devotiónis, ora pro nobis.
Rosa mystica, ora pro nobis.
Turris Davídica, ora pro nobis.
Turris ebúrnea, ora pro nobis.
Domus áurea, ora pro nobis.
Fœderis arca, ora pro nobis.
Jánua cœli, ora pro nobis.
Stella matutína, ora pro nobis.
Salus infirmórum, ora pro nobis.
Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Consolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxilium Christianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora pro nobis.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, ora pro nobis.
Regína Apostolórum, ora pro nobis.
Regína Mártyrum, ora pro nobis.
Regína Confessórum, ora pro nobis.
Regína Vírginum, ora pro nobis.
Regína Sanctórum ómnium, ora pro nobis.

Digitized by Google

Regína sine labe originâli concépta, ora pro nobis.
Regína Sacratíssimi Rosárii, ora pro nobis.
Agnus Dei, etc., parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, etc., exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, etc., miserére nobis.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

CONCEDE nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére ; et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedictiones et Absolutiones.

Brevior formula benedicendi et imponendi

SCAPULARE

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

(*Ex Decret. S. R. C. 24 Julii* 1888)

℣. Osténde nobis Dómine misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, humáni géneris Salvátor, hunc hábitum quem propter tuum tuæque Genitrícis Vírginis Maríæ de Monte Carmélo amórem servus tuus devóte est delatúrus, déxtera tua sanctífica, ut eádem Genitríce tua intercedénte, ab hoste malígno defénsus in tua grátia usque ad mortem persevéret : Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat, dicens :

ACCIPE hunc hábitum benedíctum precans sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum

Digitized by Google

pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte defendat atque ad vitam perdúcat ætérnam. Amen.

Deinde dicat :

EGO, ex potestáte mihi concéssa, recípio te ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quæ, cooperánte misericórdia Jesu Christi, a Religiósis de Monte Carmélo peragúntur. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

Bene ✝ dícat te Cónditor cœli et terræ Deus omnípotens, qui te cooptáre dignátus est in confraternitátem beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, quam exorámus, ut in hora óbitus tui, cónterat caput serpéntis antíqui ; atque palmam et corónam sempitérnam hereditátis tandem consequáris. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CORONÆ VEL ROSARII.

℣. Adjutórium nostrum ✝ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

OMNIPOTENS et misércors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum Dóminum nostrum Jesum Christum de cœlis in terram descéndere, et de Beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem súscipere, et mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte tenebrárum : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam, ut has corónas (vel hanc corónam) in honórem et laudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui, ab Ecclésia tua fidéli dicátas (vel dicátam) bene ✝ dícas et sanctí ✝ fices, eísque (vel eíque) tantam infúndas virtútem Spíritus sancti, ut quicúmque harum quámlibet (vel hanc) secum por-

Digitized by Google

táverit, atque in domo sua reverénter habúerit, et in ea ad te devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum et indulgentiárum, quæ ejúsdem corónæ recitatióni per Sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt; ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque, in hoc et in futúro sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa Beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus, præsentári mereátur. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO CORONÆ VII DOLORUM B. M. V.

Sacerdos superpelliceo ac stola alba indutus, dicat:

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum Dóminum nostrum Jesum Christum, pro redemptióne nostra, de cœlis ad terram descéndere, carnem suscípere, et crucis torméntum subíre voluísti: obsecrámus inménsam cleméntiam tuam ut hanc corónam, in memóriam Septem Dolórum Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam bene ✠ dícas et sancti ✠ fices, et ei tantam Spíritus sancti virtútem infúndas, ut quicúmque eam recitáverit ac secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque, in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo a Beatíssima Vírgine María tibi, bonis opéribus coronátus, præsentári mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat coronam aqua benedicta, Postea eam porrigens, dicat: Accipe corónam

Digitized by Google

Beátæ Maríæ Vírginis, in memóriam Septem Dolórum suórum contéxtam : ut dum eam ore laudáveris, ejus pœnas toto corde compatiáris. Amen.

Deinde ben dicens dicat : Pax et benedíctio Dei omnipoténtis Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti descéndat super te (vel super vos) et máneat semper. ℟. Amen.

BENED. IMAGINIS VEL NUMISMATIS.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, qui sanctórum tuórum imágines (sive effígies) sculpi aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur : hanc, quæsumus, imáginem (seu sculptúram) in honórem et memóriam unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi (vel Beatíssimæ Vírginis Maríæ, Matris Dómini nostri Jesu Christi, vel beáti N. Apóstoli tui, vel Mártyris, vel Confessóris, aut Pontíficis, aut Vírginis) adaptátam bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris, et præsta : ut quicúmque coram illa unigénitum Fílium tuum (vel Beatíssimam Vírginem, vel gloriósum Apóstolum, sive Mártyrem, sive Confessórem, aut Vírginem) supplíciter cólere et honoráre studúerit, illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO CRUCIS.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 45.)

Si fuerint plures, mutetur numerus.

Orémus.

ROGAMUS te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, ut dignéris bene ✠ dícere hoc signum crucis tuæ, ut sit remédium

Digitized by Google

salutáre géneri humáno, sit solíditas fídei, profé-ctus bonórum óperum, redémptio animárum, sit solámen, et protéctio, ac tutéla contra sæva já-cula inimicórum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO LOCI VEL DOMUS.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

BENE ✠ DIC, Dómine, Deus omnípotens, locum istum (domum istam ut sit in eo (in ea) sánitas, cástitas, victória, virtus, humílitas, bónitas, et mansuetúdo, plenitúdo legis, et gratiárum áctio Deo Patri, et Filio, et Spirítui sancto; et hæc benedíctio máneat super hunc locum (hanc domum) et super habitántes in eo (in ea,) nunc et semper. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

℣. Adjutórium nostrum. ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

BENE ✠ DIC, Dómine, hos novos fructus N. et præsta: ut qui ex eis in tuo sancto nómine vescéntur, córporis et ánimæ salúte potiántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO CANDELARUM

EXTRA DIEM PURIFICATIONIS B. M. V.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, béne ✠ dic candélas istas supplicatiónibus nostris: infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis, benedictiónem cœléstem, qui eas ad repellléndas ténebras humáno géneri tribuísti; talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut quibuscúmque locis accénsæ sive

Digitized by Google

pósitæ fúerint, discédant príncipes tenebrárum et contremíscant, et fúgiant pávidi cum ómnibus *ministris suis* ab habitatiónibus illis, nec præsúmant ámplius inquietáre aut molestáre servientes tibi omnipoténti Deo : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua ben dicta.

BENEDICTIO AD OMNIA.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

DEUS, cujus verbo sanctificántur ómnia, benedictiónem tuam effúnde super creatúram istam (vel creatúras istas) et præsta : ut quisquis ea (vel eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitátem et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟ Amen.

Deinde rem (vel res) sacerdos aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO CINGULORUM S. JOSEPHI.

Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus dicat :

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.)

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui virginitátis consílium et amórem ingeris, atque castitátem præcipis : orémus cleméntiam tuam ut hæc cíngula castitátis tésseram bene ✠ dícere ac sancti ✠ ficáre dignéris, ut quicúmque pro castitáte servánda illis præcíncti fúerint, intercedénte beáto Josépho, sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponso, gratam tibi continéntiam, mandatorúmque tuórum obediéntiam servent, atque véniam peccatórum suórum obtíneant, et sanitátem mentis et córporis percípiant, vitámque consequántur ætérnam : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in

Digitized by Google

unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

DA, quæsumus, omnípotens ætérne Deus, ut puríssimæ Vírginis Maríæ, ejúsque Sponsi Joséphi integérrimam virginitátem veneránte, eórum intercessiónibus puritátem mentis et córporis consequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. Orémus.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui castíssimo viro Josépho puríssimam Maríam semper Vírginem et Púerum Jesum commisísti, te súpplices exorámus : ut fidéles tui, qui his cíngulis in honórem et sub protectióne ejúsdem sancti Joséphi præcíncti fúerint, te largiénte, et ipso intercedénte, in castitáte semper devóte persístant. Per eúmdem Christum Dñum, etc. ℟. Amen.

Orémus.

DEUS, innocéntiæ restitútor et amátor, quæsumus ut fidéles tui, qui hæc cíngula adhibúerint, intercedénte beáto Josépho, sanctissimæ Genitrícis tuæ Sponso, in lumbis suis sint semper præcíncti, et lucérnas ardéntes gestent in mánibus suis, ac símiles sint homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis, ut, cum vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei, et in ætérna gáudia récipi mereántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum ℟. Amen.

Deinde sacerdos, imposito thure in thuribulo, aqua benedicta aspergit cingula, dicens : Aspérges me, Dómine, hyssópo et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Postea incensat (1) et dicit :

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperántes in te.

(1) *In benedictione privata data rationabili causa, videtur omitti posse hæc cingulorum incensatio.*

Digitized by Google

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de Sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS misércors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihílque boni perfícitur : adsint nostris humíllimis précibus tuæ pietátis aures, et fidéles tuos qui, in tuo sancto Nómine, cíngulo benedícto in honórem et sub protectióne sancti Joséphi præcíncti fúerint, a mundi impediménto vel sæculári desidério defénde ; et concéde eis ut in hoc sancto propósito devóti persístere et, remissióne percépta, ad electórum tuórum váleant pervenire consórtium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

BENEDICTIO NUMISMATUM S. BENEDICTI

Sacerdos benedicturus numisma a S. Benedicti incipit absolute.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Exorcízo vos, numísmata, per Deum Patrem ✠ omnipoténtem, qui fecit cœlum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt. Omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne phantásma sátanæ eradicáre et effugáre ab his numismátibus, ut fiant ómnibus qui eis usúri sunt salus mentis et córporis, in nómine Patris ✠ omnipoténtis, et Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et Spíritus sancti ✠ Paráclíti, et in caritáte ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, secreto.

Digitized by Google

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperántes in te.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit.
℟. Dóminus benedícet pópulum suum in pace.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de Sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS omnipotens, bonórum ómnium largítor, súpplices te rogámus, ut per intercessiónem sancti Benedícti, his sacris numismátibus lítteris ac charactéribus a te designátis tuam benedictiónem infúndas : ut omnes qui ea gestáverint ac bonis opéribus inténti fúerint, sanitátem mentis et córporis, et grátiam sanctificatiónis atque indulgéntias nobis concéssas cónsequi mereántur, omnésque diáboli insídias et fraudes, per auxílium misericórdiæ tuæ effúgere váleant, et in conspéctu tuo sancti et immaculáti appáreant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, qui voluísti pro totíus mundi redemptióne de Vírgine nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, Judæ ósculo tradi, vínculis alligári, spinis coronári, clavis perforári, inter latrónes crucifígi, láncea vulnerári et tandem in cruce mori : per hanc tuam sanctíssimam passiónem humíliter exóro, ut omnes diabólicas insídias et fraudes expéllas ab eo qui Nomen sanctum tuum his lítteris ac charactéribus a te designátis devóte invocáverit et eum ad salútis por-

Digitized by Google

tum perdúcere dignéris : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei Patris omnipoténtis, et Fílii, ✠ et Spíritus sancti descéndat super hæc numísmata ac ea gestántes, et máneat semper. Amen.

Deinde sacerdos aspergit numismata aqua benedicta.

BENEDICTIO
CINGULI S. THOMÆ AQUINATIS
ad servandam castitatem.

Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, dicat :

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini. etc. (vide p. 46.

Orémus.

DOMINE Jesu Christe, Fili Dei vivi, puritátis amátor et custos, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam, ut sicut ministério angelórum sanctum Thomam Aquinátem cíngulo castitátis cíngere, et a labe córporis ac ánimæ præserváre fecísti : ita ad honórem et glóriam ejus bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris cíngula ísta, ut quicúmque ipsa circa renes reverénter portávit, ac tenúerit, ab omni immundítia mentis et córporis purificétur, atque in éxitu suo per manus sanctórum angelórum tibi digne præsentári mereátur : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO AQUÆ S. IGNATII.

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Digitized by Google

Orémus

DOMINE sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui benedictiónis tuæ grátiam ægris infundéndo corpóribus factúram tuam multíplici pietáte custódis, ad invocatiónem Nóminis tui benígnus assíste : ut intercedénte beáto Ignátio confessóre tuo, fámulos tuos ab ægritúdine liberátos et sanitáte donátos, déxtera tua érigas, virtúte confírmes, potestáte tueáris, atque Ecclésiæ tuæ sanctæ cum omni prosperitáte restítuas. Per Dóminum nostrum, etc. ℟. Amen.

Immergitur in aquam *numisma* seu reliquiarium S. Ignatii, et immersum tenetur usque ad finem hujus orationis :

BENE ✝ DIC, Dómine, hanc aquam, ut sit remédium salutáre géneri humáno et per intercessiónem beáti Ignátii, cujus numísma (vel relíquiæ) in eam immérgitur (vel *immergúntur*) præsta : ut quicúmque ex ea súmpserint, córporis sanitátem et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Educitur ex aqua numisma seu reliquiarium.

Orémus.

DEUS qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti, concéde ut, ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum, etc. ℟. Amen.

RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ
in articulo mortis impertiendæ.

℣. Adjutórium nostrum ✝ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
Añ. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (vel ancíllæ tuæ), neque vindíctam sumas de peccátis ejus. Kyrie, eléison, Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam et sic deinceps.) ℟. Deus meus, sperántem in te.

Digitized by Google

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem atque sperántem ; secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem tibi vera fides et spes christiána comméndant. Vísita eum in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge : ut ejus ánima in hora éxitus sui te Júdicem propitiátum invéniat, et in Sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis adstantibus Confíteor, sacerdos dica : Misereátur, etc. Deinde DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi : per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in baptísmate recepísti ; et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, Paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater et Fílius, et Spíritus sanctus. Amen. ✠

Si vero infirmus sit adeo morti proximus ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppe-

Digitized by Google

tat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicens : **Dóminus noster,** ut supra.

Et si mors proxime urgeat, dicat :

Indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. Amen.

Deinde ad cautelam cæteræ preces suppleantur.

ABSOLUTIO GENERALIS

danda Confratribus SS. Trinitatis in articulo mortis.

Infirmus (vel si ipse non possit, alter assistens) dicat : **Confíteor ;** quo finito, sacerdos stola violacea indutus, dicit : **Misereátur.** et **Indulgéntiam,** et statim prosequitur

Auctoritáte D. N. J. C. et BB. Apostolórum ejus Petri et Pauli, et Summórum Pontíficum mihi in hac parte commíssa, et tibi concéssa, virtúte Bullárum nostri et aliórum Ordinum, concédo tibi, si hac vice decésseris, remissiónem et indulgéntiam plenáriam ómnium peccatórum tuórum, in quantum claves Ecclésiæ se exténdunt, et absólvo te ab ómnibus pœnis in purgatório débitis propter peccáta, quæ in hoc mundo commisísti, restituéndo te illi innocéntiæ, in qua eras, quando baptizátus fuísti. Quod si hac vice non decésseris, resérvo tibi, auctoritáte prædicta, istam indulgéntiam pro vero mortis artículo. In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. Amen.

℣. **Dóminus vobiscum.**

℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, et istam creatúram ad tuam sanctíssimam imáginem factam, tua providéntia ineffábili conservátam, et in tuo sancto Nómine ad nostram Confraternitátem et spirituálem bonórum participatiónem recéptam, bene ✠ dícere dignáre, et præsta : ut Unigéniti Fílii tui pretióso Sánguine

Digitized by Google

redémpta, et ipsíus méritis ac sanctificatiónibus adjúta, vitam cónsequi mereátur ætérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

Orémus.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dedísti fámulo tuo (vel fámulæ tuæ) in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem: quæsumus, ut, ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniátur advérsis.

DEUS qui, per sanctos Patres nostros Joánnem et Felícem, Ordinem sanctíssimæ Trinitátis ad rediméndum de potestáte Sarracenórum captívos cœlitus institúere dignátus es; præsta, quæsumus, ut eórum suffragántibus méritis, a captivitáte córporis et ánimæ hic fámulus tuus (vel hæc fámula tua) te adjuvánte liberétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ABSOLUTIO GENERALIS

danda Confratrib s VII Dolorum B. M. V. in articulo mortis

Aspergendo infirmum et circumstantes, dica sacerdos;

℣. Pax huic dómui.

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Recitato per infirmum vel per alium Confíteor. dicit; Misereátur; et Indulgéntiam.

Dóminus noster Jesus Christus Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam te absólvat et recipiátque confessiónem tuam, et remíttat tibi ómnia peccáta, quæcúmque et quomodocúmque in toto vitæ decúrsu commisísti, de quibus corde contrítus et ore conféssus es, restítuens tibi stolam primam, quam in baptísmate recepísti, et per indulgéntiam plenáriam a Summo Pontifice Paulo Quinto confrátribus Societátis Septem Dolórum B. M. V. in artículo mortis constitútis concéssam, líberet te

Digitized by Google

a præséntis ac futúræ vitæ pœnis, dignétur purgatórii cruciátus remíttere, portas inférni cláudere, Paradísi jánuam aperíre, teque ad gáudia sempitérna perdúcere : Qui cum Patre et Spíritu ancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde infirmum et circumstante benedicat : Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti descéndat super vos et máneat semper. ℟. Amen.

Quod si nunc non decésseris, resérvo tibi hanc grátiam pro ália vice.

ABSOLUTIO GENERALIS

moribundis Confratribus B. M. V. de Monte Carmelo impertienda.

Cum sacerdos ingressus fuerit infirmi cubiculum, dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde imposita stola violacei coloris, aspergat ægrum et circumstantes aqua benedicta in modum crucis, dicens :

Antiphona. Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me et super nivem dealbábor. Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam. Glória Patri, etc.

Et repetitur Ańa. Aspérges me, etc.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam)
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (vel in ea)
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de Sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (vel eam)
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

EXAUDI nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, et míttere dignéris san-

Digitized by Google

ctum Angelum tuum de cœlis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde genuflexus dicat Litanias B. Virginis Mariæ. Kyrie, eléison. Christe, eléison. etc. pag. 42. Pater noster ; Ave María.

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta, Dómina nostra, mediátrix nostra, advocáta nostra, tuo eum (eam) Fílio reconcília, tuo eum (eam) Fílio repræsénta.

℣ Ora pro eo (ea), sancta Dei Génitrix.

℟. Ut dignus (digna) efficiátur promissiónibus Christi.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣ Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

PROTEGE, Dómine, fámulum tuum (vel fámulam tuam) subsídiis pacis, et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntem a cunctis hóstibus redde secúrum (vel secúram).

SANCTISSIMÆ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dñe, méritis adjuvémur, ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

OMNIPOTENS et misércors Deus, qui humáno géneri et salútis remédia, et vitæ ætérnæ subsídia contulísti : réspice propítius fámulum tuum (vel fámulam tuam) infirmitáte córporis laborántem, et ánimam réfove quam creásti : ut in hora éxitus illíus absque peccáti mácula, tibi Creatóri suo per manus sanctórum Angelórum repræsentári mereátur.

DEUS, infirmitátis humánæ singuláre præsídium, auxílii tui super infírmum fámulum tuum (vel infírmam fámulam tuam), osténde virtútem, et sic eum (eam) grátia tua confirmáre

Digitized by Google

dignéris, ut in hora mortis ejus non prævàleat contra eum (eam) adversárius, sed cum Angelis tuis tránsitum habére mereátur ad vitam.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, qui Montis Carméli Ordinem, gloriósæ Vírginis Matris Maríæ sacráto título insignítum, sanctórum tuórum Elíæ, Angeli, Cyrílli, Albérti, Therésiæ et aliórum plurimórum sanctórum méritis decorásti : tríbue, quæsumus, ut, per eórum mérita et suffrágia, ab instántibus ánimæ et córporis malis et periculis liberátus (vel liberáta) ad te verum Carméli vérticem gaudens pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

His absolutis, dicatur Confiteor ; deinde sacerdos stans dicat :

MISEREATUR tui omnípotens Deus et, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. R. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens et miséricors Dóminus. R. Amen.

Orémus.

DEUS omnípotens, Salvátor et Redémptor géneris humáni, qui Apóstolis suis dedit ligándi et solvéndi potestátem, ipse te absólvere dignétur ab ómnibus iniquitátibus tuis ; et, quantum meæ fragilitáti permíttitur, auxiliánte ipso, sis ab ✠ solútus (vel absolúta) ante fáciem ejus : Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. R. Amen.

Deinde conferat indulgentiam plenariam in hac formula :

CONCEDO tibi indulgéntiam plenáriam peccatórum tuórum, facultáte mihi concéssa et commíssa virtúte Bullárum Ordinis Carmelitárum : quod si præsens mortis periculum, Deo favénte, eváseris, sit tibi hæc indulgéntia pro vero mortis artículo reserváta. In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. Amen.

Digitized by Google

Preces in casu necessitatis licet omittere, et illico ægro absolutionem impertire, antequam e vita discedat.

INDULGENTIA PLENARIA

morbundis ge tantibus Scapulare cæruleum Virg. Immac. applicanda.

Dicatur ab infirmo, si vires habeat, vel ab alio, si infirmus nequeat, **Confíteor Deo**, etc. a sacerdote vero **Misereátur**, et **Indulgéntiam**, etc. Deinde

DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam te absólvat : et ego, auctoritáte ipsíus et beatórum Apostolórum Petri et Pauli, ex speciáli grátia mihi trádita, tibíque concéssa, a Summis Pontifícibus confirmáta, absólvo te ab omni vínculo excommunicatiónis majóris et minóris (suspensiónis) et interdícti, si tenéris, in quantum possum, et tu índiges ; et restítuo te sanctis Sacraméntis, Ecclésiæ communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. ℟. Amen.

Item eádem auctoritáte mihi trádita, et tibi concéssa, ego te absólvo ab ómnibus peccátis tuis, quæcúmque toto decúrsu vitæ quomodocúmque commisísti, de quibus corde contrítus (vel contríta) et ore conféssus (vel conféssa) es, quorum memóriam non habes usque in præséntem diem, et de quibus confitéri mínime recordátus (vel recordáta) fuísti : et restítuo te illi innocéntiæ, in qua eras, quando baptizátus (vel baptizáta) fuísti, et puritáti eídem, in quantum claves sanctæ matris Ecclésiæ se exténdunt. Remítto tibi étiam pœnas purgatórii, quas per culpas et offénsas contra Deum, et próximum, et teípsum (vel teípsam) commíssas incurrísti. Claudo tibi portas inférni, jánuas apério Paradísi ; bona per te facta, et faciénda, sint tibi in remissiónem pectórum, in augméntum grátiæ, et præmium vi-

Digitized by Google

tæ ætérnæ : et hoc si in infirmitáte, qua ægrótas, decédas ; álias ex misericórdia Dei salva sint tibi, donec fúeris in artículo mortis constitútus (vel constitúta.) In nómine Patris, et Fí ✠ lii, et Spíritus sancti. ℟. Amen.

FORMULA ADMINISTRANDÆ
EUCHARISTIÆ PER MODUM VIATICI

Accipe, frater (vel soror), Viáticum Córporis Dómini Nostri Jesu Christi, qui te custódiat ab hoste malígno et perdúcat in vitam ætérnam. Amen.

FORMULA ABSOLUTIONIS
URGENTE NECESSITATE.

Ego te absólve ab ómnibus censúris et peccátis, in nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus sancti. Amen.

FORMULA EXTREMÆ UNCTIONIS
URGENTE NECESSITATE.

Una facta unctione in fronte (1) Per istam sanctam unctiónem et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per sensus visum, audítum, odorátum, gustum et locutiónem, ac tactum) deliquísti. Amen.

N. B. Si tempus supersit, fiant unctiones consuetæ, cum forma singulis propria et orationibus omissis.

CLERICIS ITINERANTIBUS

Co sulitur u recite t Itinerárium clericórum, quod ad calcem Breviarii invenitur.

(1) Præstat (uti aliquibus videtur, quos laudat Benedictus XIV) ut, dum pronuntiatur illa forma generalis, celeriter ungantur quinque organa sensuum in capite ; id est, ut præter frontem (quæ locum tenet organi tactus), unus oculus, una auris, una naris, et os inungatur, « quod videtur, ut aiunt, fere æque celeriter fieri posse. »

Digitized by Google

PRÆPARATIO AD MISSAM.

Psalmi cum orationibus. 3-9
Oratio S. Ambrosii. 9
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 10
Actus fidei, spei, caritatis et contritionis. 11
Oblatio sacrificii. 11
Oratio ad B. V. Mariam. 12
Oratio ad S. Josephum. 13
Oratio ad Sanctum cujus Missa dicitur. 13
Oratio ad omnes Angelos et Sanctos. 14
Oratio dicenda antequam sacerdos lavet manus. 14

PRECES POST MISSAM.

Canticum trium puerorum, Psalmus, etc. 15-17
Oratio S. Thomæ Aquinatis. 17
Oratio S. Bonaventuræ. 18
Anima Christi. 19
Oratio ad Jesum. 20
Adoro te. 20
Ave, verum Corpus. 21
Oratio S. Francisci Xaverii ad Jesum. 21
Piæ petitiones S. Augustini. 21
Actus petitorii. 22
Oratio in honorem Passionis D. N. J. C. 23
» ad SS. Nomen Jesu. 24
Jesu dulcis memoria. 25
O Jesu vivens in Maria. 26
Precatio S. Bonaventuræ. 26
Oratio : Divine Jesu, Fili Dei incarnate. 27
» S. Ignatii Loyolæ. 27
» pro agonizantibus. 28
Oblatio vitæ pro iisdem. 28
Piæ intentiones singulis diebus renovandæ. 28
Oratio : En ego, o bone. 29
Duæ orationes ad B. V. Mariam. 30
Oratio ad S. Josephum. 30
» ad omnes Sanctos. 30
» ad Sanctum de quo Missa celebrata est. 31

Digitized by Google

Oratio universalis Clementis XI. 31
» ad obtinendam bonam mortem. 33
Oratio S. Francisci Xaverii ad impetrandam infidelium conversionem. 33
32 Breves preces indulgentiis auctæ. 34-38
LITANIÆ Sanctissimi Cordis Jesu. 39
» Sanctissimi Nominis Jesu. 40
» B. Mariæ Virginis. 42

BENEDICTIONES ET ABSOLUTIONES.

Brevior formula bened. et impon. Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo. 44
Benedictio coronæ vel rosarii. 45
» coronæ VII Dolorum B. M. V. 46
» imaginis vel numismatis. 47
» crucis. 47
» loci vel domus. 48
» novorum fructuum. 48
» candelarum extra diem Purificationis B. M. V. 48
» ad omnia. 49
» cingulorum S. Josephi. 49
» numismatum S. Benedicti. 51
» cinguli S. Thomæ Aquinatis. 53
» aquæ S. Ignatii. 53
» apostolica in articulo mortis. 54
Absolutio generalis impertienda moribundis Confratribus : 56
» SS. Trinitatis. 57
» VII Dolorum B. M. V. 58
» B. M. V. de Monte Carmelo. 61
Indulgentia plenaria moribundis gestantibus scapul cærul. Virg. Imm. applicanda. 62
Formula administrandæ Eucharistiæ per modum Viatici. 62
Formula absolutionis, urgente necessitate. 62
» extremæ Unctionis, urgente necessitate. 62
Consilium clericis itinerantibus.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN

Digitized by Google

31
33
am
33
34-38
39
40
42
NES.
lare
44
45
46
47
47
48
48
ica-
48
49
49
51
53
53
54
ndis
56
57
58
tibus
61
mo-
62
62
tate. 62
62

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google